



Nr. 14

41

DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM
DODECADIS POSTERIORIS
TERTIA,

QVA
ISTE VIRI CLARISS. PETRI POIRETI, ERROR, QVO;

QVAE NATV-
RAE SVNT, PRO
GRATIA ET GRATIAE
EFFECTIBVS HABET,

DISCVSSIS EJVS LOCIS ET ARGUMENTIS,
PLVRIBUS REFFELLITVR.

QVAM
IN REGIA FRIDERICIANA
die Febr. hujus M DCC XXI. anni
PRÆSIDE
D. JOACHIMO LANGIO,
S. THEOL. PROFESS. ORDINARIO,
PLACIDAE συνθετογράφων DISQVISITIONI SVBJICIT
CHRISTIANVS AVGVSTVS Rahlé /
MAGDEBURGENSIS, SS. THEOL. CVLTOR.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFII, Acad. Typ.



TRACTATIO ELENCTICA,
CONTINENS
DISQVISITIONEM ANTITHE-
SEOS POIRETIANAE,
OECON. L. III. C. VII.
AD THESIN DISSERT. II. RELATAE.

Locus I. §. I. p. 676.



Iquidem gratiae omnes a liberatore nobis
imperatae comparataeque, quasque Deus
per & propter Jesum Christum in homi-
ne atque in natura universa operatur,
sigillatim enumerandae nobis essent, omnes
omnino lingue, totaque eternitatis du-
ratio tanto operi exsequendo non suffice-
rent. Itaque satia habebimus monere,
bona omnia, que nobis offeruntur, quibusque fruimur, tum que ad
animam pertinent, tum que ad corpus, sive magna sint sive exigua,
ex sola gratia & propter solum meritum Jesu Christi nobis dari;
ita ut, nisi illius consideratio interveniret, nos in infernum cum
spirituale tum corporalem, cuius rudem adumbrationem su-
pra vidimus, singulis momentis rueremus. Quæcumque in ani-
mabus corporibusque nostris post lapsum supersunt, quibus a sta-
tu hoc infernali adhuc distinguamur, atque adeo minimæ que-

que realitatis bonitatisque scintillæ, quæ in nobis sunt, soli gratiæ Dei, per merita atque interventionem Jesu Christi accepta ferenda sunt. Quicquid in nobis est bonarum cogitationum, bonorum motuum, gaudii, ordinis, tranquillitatis, sanitatis, etiam nostra alimenta, potus, verbo, quicquid infernus non est, id omne Christo deberur, qui benedictionem suam rebus omnibus infudit, easque nunc verbo suo potenti portat atque gubernat. Hebr. I, 3. Ideoque Paulus nos horritur, Col. III, 17. ut in omnibus, quæ facimus, gratias agamus Patri per Jesum Christum: sine ejus enim benedictione ac gratia omnia infernum ipsum afferrent.

Disquisitio hujus loci.

I. Etiam gratiam generalem, a speciali, seu evangelica, eaque simul universali, distinctam, & ipsa beneficia Dei naturalia, seu regni naturæ, inde orta, latiori respectu intercessionem & meritum Christi pro fundamento habere, quando nonnulli etiam ex orthodoxis Theologis adseruerunt, hæc ipsorum mens est: 1. Nullam dari posse rationem sufficientem, cur iustitia Dei vindicta non primo statim momento a lapsu, vi comminationis Gen. II, 17. homines in mortem quamvis, etiam temporalem & æternam, conjecterit; nisi dicamus, statum hunc medium, in quo ad pœnitentiam ac salutem datur reditus, propter sponsionem ac intercessionem Christi humano generi fuisse concessum. 2. Statum hunc medium gratiæ quidem generali, etiam ad Christi meritum generaliori respectu referendæ, deberi; at illum ipsum, respectu gratiæ specialis & evangelicæ, nihil esse, nisi statum meræ naturæ, in quo quidem detur aditus ad salutem, nimirum in ordine oblati & accepti evangelii, conf. Luc. XIII, 8. nulla autem sine illo spiritualis ac

DISSERTATIO TERTIA.

ac æterna salus, adeo ut homini, qui in eo evangelii & gratiæ specialis expers maneat, æternum pereundum sit. Quæ sententia quemadmodum nec naturæ quidquam tribuit, quod ipſi non convenit; nec necessitatí gratiæ specialis quidquam derogat, ideoque salva est; sic econtrario sententia Cl. Poireti præsenti loco expressa, & deinceps declarata, a vero est alienissima; utpote qua gratia generalis cum speciali ita confunditur, ut negata gratiæ specialis necessitate æterna salus generali isti, ipsique statui hominis mere naturali, adscribatur, regno naturæ in regnum gratiæ converso.

2. Quæ cum ita sint, rursus videmus, verba Poireti bona, immo optima, nequaquam esse sensus evangelici, sed fucum facere imperitis. Id quod ipſi proprium esse, ex universa Dissertationum antecedentium serie jam tum liquido constat, & ex hac ipsa mox uberius constabit.

3. Quæ auctor §. II - VII. tradit de *operatione Dei in homine*, hoc non pertinent, & recte, seu sine præjudicio mediorum salutis, intellecta sententia evangelicæ non sunt adversa. Quam vero sinistre is ea intelligat ac applicet, nunc videbimus.

Locus II. §. VIII. p. 679.

Hinc tanquam ex fonte uberrimo veritates multæ divinæ, & que gravissime descendunt, quarum nonnullas hic indicabimus. Prima sit hec: Lumen hoc cum sit verum lumen Fidei, ipseque Deus, objectum est, principium, pars quo essentialiter, & itaque adeo summa VERÆ RELIGIONIS. Dico objectum, quippe quum sit ipse Deus, luminosus ac radians in anima, qui in ea timore, adoratione atque obsequio colendus est, siquidem templum augustinus, divinusque non habet: Dico principium, quan-

doquidem hinc emanant veritates omnes in infinitum; hinc & amor, & quorquot sunt virtutes divinae; hinc vires, quibus suffultus homo in via Dei ambulet, atque adeo currat, hinc denique vita est eterna. Addo hanc esse partem religionis essentialem: etenim Deum cognoscere, amare, ac laudare, proximo autem bene velle, eumque non cogere, essentiam utique religionis absolvunt, quum Christus ipse doceat, legem totam Prophetasque omnes in Charitate comprehendi, que in rei substantia ab hoc Fidei lumine non differt: Ergo in divino hoc lumine pars essentia, imo & tota summa religionis continetur, ita ut cetera omnia non nisi accessoria sint, atque ex accidenti superveniant. Etenim si homines Lumini divino atque interno rite obtemperassent, hoc est, si evagationibus rebusque sensibilibus valere jussis, in se collecti observassent precepta divini luminis, cuius vi quondam creati fuerunt, & deinceps (si volunt) de novo creandi sunt; nullis certe instructionibus externis, sive per verba exprimantur, sive per scripturam, sive per ceremonias ac sacramenta, opus fuisset: etenim hac omnia nil sunt nisi externa quedam accessio Religioni ex accidenti superveniens: imo ideo tantum instituta sunt, ut hominem ad lumen internum reducant. Postquam enim homo distractus lumini tergare atque ad creaturas applicari voluit, Deus his ipse creature, ad quas applicabatur, ita iusus est, ut per eas intra se revocaret, veluti voce aliqua aut manu monente ac indicante, quo eundum esset. Psalm. 46, 8. Redite, prævaricatores, ad cor. 2. Cor. XIII, 5. Tentate vosmet ipsi, ac explorate, utrum Christus (verum hoc lumen) in vobis sit. Jer. IV, 4. Auferte præputia cordium vestrorum. Rom. II, 29. Vera circumcisio intus est, perinde atque verus Judæus: ut docent tabulae sacre. Imo ipse Christi adventus eandem hanc habuit causam, videlicet ut nos intra nos revocaret ad se ipsum, ad verbum inquam eternum in qua nos lucens: quæcun-
que

DISSERTATIO TERTIA.

7

que enim ille dixit, fecitque ac passus est, ideo tantum facta sunt, ut obstatula, quæ impediunt, quo minus nos Deum in coribus nostris videamus eoque fruamur, tenebræ scilicet nostræ atque peccata, tollerentur.

Disquisitio hujus loci.

1. Totus sermonis contextus indicat, Auctorem loqui de lumine naturæ. Hoc vero vocare verum lumen fidei, ipsumque Deum, objectum, principium & partem essentialem, tamquam summam VERÆ RELIGIONIS, emphaseos causa majusculis litteris adhibitis, fere plus est, quam Pelagianum, uti liquet ex antecedenti dissertatione.

2. Quando idem declarat, quid per objectum, principium & partem religionis principalem intelligat, nihil plane probat, sed petitionem committit principii.

3. Auctor præterea manifeste confundit religionem naturalem cum christiana. Deum cognoscere, amare ac laudare, & proximo beneuelle, eumque non lædere, ad religionem naturalem pertinet: quæ e libro naturæ cognoscitur imperfectius & excolitur imbecillus, e libro vero Scripturæ, speciatim legis, luculentius declarata cognoscitur perfectius & excolitur felicius ac beatius, si in cultore principio gratiae evangelico non destituatur. Sic se habet religio naturalis utriusque luminis & exercitii, fine, aut ex, Scriptura sacra. At religio christiana, supposita ista theologia naturalis, per naturam & revelationem patefactæ ac declarata, possessione & praxi, animam suam nervumque omnem habet in cognitione & cultu Jesu Christi, secundum oeconomiam evangelicam salutari, unde ipsa etiam theologia naturalis illustratur. Haec vero eti maxime distincta sunt, ob suum, quem inter se habent, respectum Poiretus non parum

parum confundit. Id quod vel ex eo liquet, quod negat, istam religionem, quam describit, a lumine fidei differre.

4. Nec illud hic prætermittendum est, quod divino isti lumini, quod post lapsum in homine residuum est, facultatem novæ creationis tribuit. Quod itidem fere plusquam Pelagianum est.

5. Præterea tantum abest, ut Auctor mediis gratiæ evangelicis & ordinariis suum statuat pretium relinquatque locum, ab ipso Deo constitutum & perpetua praxi confirmatum, ut potius ea pro re religionis mere accessoria & secundaria habeat. Nec ex ejus sententia Deus per evangelium suum lumen fidei accedit in homine, sed eum ad hoc, tanquam jam natura insitum, per istud tantum reducit, quando homo interno isti lumini non jam tum per se, quemadmodum possit, attendat. Id quod nihil est aliud, quam naturam venditare pro gratia, in throno religionis collocatam.

6. Psalmo (potius Iesaiæ) XLVI, 8. in verbis: *redite peccatores ad me, nullum plane est vestigium sententiae Poiretianæ, uti res ipsa ostendit.*

7. Secundi loci sensus non minus depravatur. Quod enim Christus Corinthiis non jam tum natura fuerit insitus, ostendit Pauli præconium in Actis c. XVIII. & confirmant ejus epistole, speciatim 1 Cor. II, 14. quod oraculum antecedenti Differat. p. 10. in evidenter sua elenctica produxi & alias pluribus illustravi. Omnium minime Paulus allegato loco 2 Cor. XIII, 5. Corinthios remittit ad Christum aliquem jam tum natura implantatum, sed ad eum, quem plane ignotum ipsis prædicaverat, quemque illi vera fide receperant. 1 Cor. II. III. conf. c. XV, 1. seqq.

8. Nec

8. Nec quidquam Auctorem juvat locus tertius ē
Jer. IV, 4. *Auferte preputia cordium vestrorum.* Ubinam
enim vel minimum est vestigium, istud naturæ, quam
Poiretus gratiæ nomine vestit, viribus tribuit? Nonne
ex ipso prophetæ ministerio, quo Israelitis verbum Dei
ad ipsorum concessionem prædicabat, liquet contrari-
um? Nonne Deus apud hunc ipsum prophetam hoc
ipsum verbum suum declarat pro medio conversio-
nis ordinario, ejusque neglectum pseudoprophetis ex-
probatur? c. XXIII, 22, 29.

9. Non magis Poiretiano errori patrocinatur lo-
cus ultimus ex Rom. II, 19. *Vera circumcisio est intus perin-
de ac verus Iudeus.* Quomodo autem aliquis ad veram
cordis circumcisionem perveniat, & verus Iudeus, seu
Dei cultor ac confessor, fiat, indicat Paulus c. I, 16. ubi
Evangelium, non quod cuivis innatum singit Auctor, sed
quod Romanis prædicatum fuerat, vocat *potentiam Dei
ad salutem,* dicitque c. X, 17. *fides esse ex auditu evangelii.*
&c.

10. Falsum est, adventum Christi hanc habuisse causam,
ut nos intra nos revocaret ad se ipsum. Nos quidem o-
mnino vocat ad se, non autem intra nos inveniendum
sensu Poiretiano, h. e. tanquam nobis jam natura im-
plantatum, sed ut, cum introversione, ut ita loquar, no-
strī, prædicati evangelii motibus intra nos attendamus,
ejus semina intra nos recipiamus, inde fidem concipi-
amus, & sic Christum ex evangelio agnatum suscipia-
mus, & cum suscepimus conglutinemur. Ultima allegati
loci verba redolent errorem Auctoris de negata Christi
satisfactione, & de inculcata solitaria peccatorum expur-
gatione.

Locus III. §. XI. p. 680. seqv.

Secundo ex iisdem veritatibus aperie colligitur, quod homo, (homo inquam omnis nemine excepto) post restitutionem factam, hoc est, post mediationem Christi ab Adamo acceptam, jam inde a prima origine sua Deum, Legemque Dei, seu Religionem veram, in corde suo gerat. Dico hominibus singulis, ex quo vita usura fruuntur, hoc competere, eo quod omnes ex Adamo in gratiam recepto descendant. Experiencia docet universos, si quando tranquilla mente intus se deliberatum descendant, Veritates illas essentiales, quas in superiore articulo diximus, uno ore profiteri. Unde vero hoc? Anne dicemus id ex natura in Adamo corrupta, lapsa atque depravata venire? An vero, quod vulgo volunt, has reliquias esse imaginis Dei post lapsum superstites? Minime vero; neque etiam tantius post hominis lapsum superfuit thesaurus. Hec potius effecta sunt restaurations, qua natura per Dei gratiam reparata est. Ipse inquam Deus in centra cordium reddit: qui cum ubique idem sit, sibiique similis, hinc divina hec principia in hominibus omnibus ac singulis eadem ex aequo insunt. Atque ita unus solus est Deus, una sola Fides. Dixi autem, istae hominibus omnibus nemine excepto competere: eo quod omnes ex Adamo in gratiam recepto descendant; siquidem Adamus eos omnes, qualis est, restitutus scilicet & ingratiam recipi, Deumque in fundo anime sue medis in tenebris lucentem gerens, progeneruerat. Non quod generatio carnalis, qua carnalis eam vim habeat, verum Deus ex una parte voluit, ut res singule alias ejusdem naturae & in eodem statu, quo ipse, versantes producerent; idemque ex altera parte, ex gratia voluit, ut homo & que hominis sunt eum in statum restituuerentur, in quo lumen divinum cor ejus collusaret. Itaque quando homo alium sui similem progenerat, oportet vi utriusque hujus voluntatis Dei

ut

DISSERTATIO TERTIA

II

ut hic & aliis lumen Dei, seu Deum ipsum, in corde habeat. Hic vera lux est illuminans omnem hominem venientem in mundum. Job. I. 9. Multa sunt, qua hic adferre licet, queque in praesenti non attingimus; tamen questioni, quæ lectori ultra sece offeret, hic erit satisfaciendum.

Disquisitio hujus loci.

1. Adamum etiam post lapsum in actionibus suis, præcipue fiduciali illa, quæ promissionem de Messia accepit, ipsumque vera fide ad salutem amplexus est, adhuc caput federale exstisit, ita ut actio ista reputari possit omnium esse posterorum, falsum est.

2. Neque hoc probat Auctor, sed in probatione manifeste confudit ad lumen naturale, quod homini post lapsum fuit relictum, illud cum Pelagianis pro gratia venditans, &c., ut hoc cum aliqua veri specie facere possit, negans, reliquias imaginis divinæ post lapsum tantas esse, quantæ remanisse dicantur. Sed non opus erat, ut Auctor eas tantum vocaret thesaurum ex hypothesi ecclesiæ. Etsi enim illæ per se omnino sunt bonum satis præstans, exiguis tamen sunt thesaurus: utpote qui ex eadem hypothesi per se nihil confert ad restitucionem nostri, sed hominem, beatitate omni viribusque spiritualibus omnibus plane destitutum, in extrema adversitate & miseria relinquit. Fucum ergo facit Poiretus lectoribus suis imperitis hac sua de reliquo thesauro spirituali sententia, Pelagianismum incrustans.

3. Voluit omnino Deus per ipsam creationis legem, universæ rerum omnium naturæ insitam, ut singulæ res alias ejusdem naturæ producerent. Sed haec lex vallet tantum de iis, quæ ad essentiam hominis pertinent, non vero de iis, quæ salva essentia ab eo abesse possunt.

B 2

Atque

Atque ita falsa est istius legis applicatio ad ea, quæ in Adamo post lapsum non erant essentialia, sed dotes novæ, ad amissam nobilitatem seu dignitatem essentialiæ restituendam superadditæ. Quæ quod proli in generatione non communicentur, inter alia manifestum est ex eo, quod illa e piis etiam parentibus genita caro corrupta est ex carne, regenerationis per baptisini aquam & spiritum necessario indiga Joh. III, 5. & quod natura, seu ipsa nascendi sorte, quilibet homo est filius iræ, seu damnationi obnoxius Eph. II, 3. Peccatum quidem ita ad essentialiam hominis pertinet, ut propagetur una cum eadem, quia lapsus seu reatus Adami fuit universalis, ab eo, tanquam a foederali capite, commissus, ideoque in universem humanæ naturæ massam una cum ipsa labore diffusus, quemadmodum Diss. III. & IV. Dodec. I. probatum est: at restitutio Adami fuit personalis tantum. Unde non communicatur per generationem, utpote soli Adamo propria.

4. Locum Gen. III. de promissione Messiae & restituzione, nec non illum Jo. I, 9. supra Dissert. antecedenti vindicatum vide.

5. Ceterum Auctor se accingit ad solvendam magni momenti questionem de religione & legè naturali: ubi hæc habet:

Locus IV. Oecon. L. III. c. VII. §. X. XI.

p. 681. seqqv.

Quæstio hæc est, an vera religio homini sit naturalis, ita ut ille eius principia, ex quo nascitur, in se gerat? Nonne vero paradoxum id viderat incredibile? Scilicet, non nisi verba sunt quibus perterritur! Age pro verbis vera religio, substitue, Lex Dei, vel, principium cognoscendi, quod Deum amare

DISSERTATIO TERTIA.

13

mare oporteat ac laudare, proximum autem diligere ita ut nos ipsos, aliisque non facere, nisi quæ nobis met i-psis fieri volumus. *Quo facto minor erit difficultas in eo,* quod queritur. Sed & verba naturalis & habere quipiam per nativitatem ambiguitatem habent. *Quæ non nihil expli-canda erunt.* Homo post peccatum, ex quo Christus veniam ipsi exoravit duo principia adversis frontibus inter se pugnantia in se gerit. *Adest in ipso, uti diximus, Lux Fidei, qui ipse Deus est, seu Spiritus Dei bonus, in intimis ejus lucens, & consiliis eum instruens, quoties homo ad eum revertitur.* Ad sunt deinde & propriae ejus tenebre, propensionesque facultatum prævæ & longæ habitu firmatæ, verbo corruptio ejus, quanta quanta est, Diaboli elementum, in quo spiritus ille malus tri-umphat nec parum dominatur. Atque ita homo in se gerit la-men & tenebras, bonum & malum, duos spiritus contrarios, quorum alter alterum impugnat. Et alter quidem a principio peccati venit, alter vero ex gratia Dei. Tenebre, malum, spiritus malignus (qui in hoc elemento exsultat) omnesque pro-pensiones prævæ, que ex corruptione naturæ a diabolo confirman-tur, in naturam humanam, in animam pariter ac corpus per peccatum introducuntur sunt. At vero Deus per gratiam suam, qua peccatum indignitatemque peccatoris dissimulat atque obli-viscitur, ut opus suum reparet, ut tenebras expellat, malum-que & spiritum malignum impetum, debellet ac domet; in sub-jectum hoc depravatum, in naturam, inquam, humanam, spi-ritum suum bonum veluti antagonistam fortem potentemque re-fundit, qui ceterus Jacobus alter, spiritum impium Esavi atque nature corruptæ, sine hoc Dei dono ipso diabolo nihilo meliorem, ubique sequi omniaque ejus vestigia observare eumque supplantare deberet. Atqui homo hominem procreat sibi similem, talen qualis ipse est. Ergo non male dicemus, homines, qui na-scuntur, ea quæ modo diximus naturaliter possidere, intelligen-tes,

B 3

URN: urn:nbn:de:gbv:3:1-815099-p0015-0

1015



tes, eos ideo ea possidere, eo quod ex patre, qui eadem possidebat
 donec Deo volentis ea continuari, nati fuerint. Itaque nunc ea-
 dem bac voce naturale indigitare licebit & subjectum bonum,
 seu principium bonum, quod Deus homini indidit, quodque hinc
 in posteris ipsius jam inde a prima nativitate eorum derivatur.
 Unde perspicuum est, eadem bac significatione dici posse, ve-
 ritatem atque Principia vera Religionis & Virtutis, ipsiusque
 vitae aeternae, homini esse naturalia; ita ut si naturae sue hoc
 sensu obtemperaret, ad omnia bona, ad virtutem, ad pietatem,
 ad amorem Dei & proximi; verbo ad vitam vere divinam ani-
 matam applicare deberet: siquidem inclinatio, quam Deus cordi
 imprimuit, quando homo intra se collectus serio eum ibidem con-
 sultit, vere sancta est, & vere divina, nec nisi ad ipsum De-
 um beatissimam aeternitatem per reliquorum omnium contem-
 tum aspirans. Verum enim vero ejusdem voca naturalis ap-
 pellatione tenebrae etiam ac mala significari possunt, quibus ho-
 mo diabolo cooperante animam suam replevit, quæque ex ipso
 in liberos omnes, quos procreat, propagantur; hinc eatenus non
 minus recte dicetur, ignorantiam, errorem, peccata, vitia o-
 minia, propensionesque & inclinationes malignas, homini esse
 naturalia; unde si naturæ huic inclinationibusque suis obtem-
 perabit, omnes errores, superstitiones, & iniquitates, verbo,
 vitam vere belluinanam & diabolicam amplectetur, tandemque
 misere peribit: siquidem inclinatio, quam corruptio hominis di-
 abolique homini suggerit, penitus corrupta est arque prava.
 Itaque magna inter utramque hanc significationem est differen-
 tia, eaque diligenter observanda, quo verba ita accipiuntur,
 quemadmodum materia subjecta exiget. Ita quando Paulus
 ait, gentiles ostendere legem Dei cordibus suis inscriptam esse,
 subiungitque Rom. II, 1. cum legem scriptam non habeant,
 faciunt tamen NATURALITER, quæ legis sunt, in vo-
 ce naturaliter indigitat principium bonum homini congeni-
 tum. Idem quando Eph. II, 3. dicit, nos natura seu per natu-
 ram

DISSERTATIO TERTIA.

15

ram esse filios iræ, satis aperte loquitur de propensiunibus prævis, quas homo ab Adamo peccatore, ex quo nascitur, accepit.

Disquisitio hujus loci.

1. *περὶ τοῦ Αὐτορὸς ψεύδος*, aut, si mavis, sophisima est in *confusione theologie naturalis & christiana*, jam supra ad Locum II. detectum; ubi ostensum est, theologiam naturalem sub revelata & christiana quidem contineri, & ab hac illustrari ac declarari, at hanc ea nequaquam absolvit. Huc accedit, quod theologia naturalis Christum & evangelium plane ignoret, etiam in quantum in *Scriptura sacra* revelata & illustrata est, nec ad salutem per se adducat, sed hanc efficaciam demum ab evangelio accipiat.

2. Dicere, hominem post lapsum duo principia adversis frontibus inter se pugnantia naturaliter insita in se gerere, quorum unum sit lux fidei, seu ipse Deus, & Spiritus Dei bonus &c. est Pelagianissimum novo plane & crassiore modo confiteri, ac confundere principium rationis, seu luminis naturalis, cum principio gratiae & fidei.

3. Negat auctor, Messiam post lapsum humano generi promisisse & præstisse redemtionem forensem, sed omnia, ipsum etiam protevangelium, refert ad solam peccati inhabitantis expunctionem. Ex quo corrupto principio manat etiam hæc hypothesis de gratia reparationis sanctificante, universæ naturæ humanæ ita implantata, ut per naturalem generationem propagetur.

4. In reliquis Auctor nihil probat, sed errorem suum expolit, naturalismum suum tam audacter efformans, ut non dubitet ipsam vocem *naturale* a propria & ab universo orbe christiano recepta significacione deflectere, immo detorquere, in Pelagianam, secundum

dum quam ipsa natura melior, seu a statu bestiali abhorrens, aut abstinentis, ipsi est gratia, est inclinatio vere sancta & vere divina, nec nisi ad ipsum Deum beatamque eternitatem per reliquorum omnium contemnum admirans. Sic theologia Poireti mystica principium, centrum, ac finem suum habet in naturalismo, ideo & locutionibus a religione christiana desuntis mirum in modum exornato!

5. Locus Pauli Rom. II, 14. hypothesin Poireti nihil juvat. Cum enim *lex moralis* in Scriptura sacra explanaata, de qua Apostolus loquitur, sit *juris naturalis*, in omnibus hominibus post lapsum residua, etsi per peccati nebulas & fardes obscurata foedataque; non est mirum, Paulum inscriptionem hujus legis referre ad cor hominis cuiusvis, & honestioribus tribuere, quod naturaliter faciant, quae legis sunt. Inde vero nulla valet consequentia ad confusionem naturae & gratiae, & legis ac evangelii.

6. Quando Paulus Eph. II, 3. nos vocat *natura filios ire*, nequaquam intelligit illos tantum, qui jure naturae intra se neglecto sensu corruptionis brutum sequuntur; sed omnino loquitur generatim de omnibus cuiuscunque generis & indolis hominibus, etiam honestissimis ac philosophis, affirmans, ipsos per ipsam nascendi sortem reatu ad poenam ducenti esse obnoxios: quemadmodum pluribus probavi Dodec. I. Diff. III. p. 28. seqq.

Locus V. §. XII.

*Quibus ita explicatis, parum jam difficultatis in questio-
ne proposita supererit, facileque patet, quomodo homo tum
recte, tum perperam duci possit a se ipso, seu ab iis, que intra
se invenit. Si a creaturis aversus veritatem in centro anime
lucenter consulet, ad Deum utique salutemque eternam da-
cetur,*

etur, verusque fuit Christianus, licet forte literam Evangelii ignoraret; eo quod lumen in corde ejus lucens sit ipse Spiritus Iesu Christi, cuius efficacia vita moresque Christi in ipso formabuntur, Christusque in eo nascetur. Et quoniam gratiae iste, quoquot sunt, jam inde ab initio per meritum Christi acquisita fuerunt, homo ille ita sine ulla ceremonia per meritum Christi servabatur. Ita proximi ab Adamo ante legem Moysis latam mulique inter gentiles viri sancti servi fuerunt, qui hac ratione Christiana discipline essentiam tenuerunt. Quicquid extra additur, non nisi accessorium est, ut ita loquar, & accidentale. Evidenter hec ipsa, que accidentalia diximus, necessaria quandoque sunt, si videlicet, qui ab interna suis observatione distracti in externis vagantur, adeoque nonnisi per extera, quorum sensu adhuc moventur, intra se revocari possunt. Et hac ratione, sive hoc fundamento nituntur revelatio verbalis ac ceremonie, prorogativa utique excellentissimae atque saluberrime, sis qui in circumstantiis quas diximus, inveniantur.

Disquisitio hujus loci.

1. Quandoquidem Auctor in hypotheseos suæ explicatione fuit infelicissimus, & a praesidiis plane nudus, uti hactenus vidimus; manifestum est, in proposita ab ipso questione adhuc difficultatem omnem superesse, errore ejus manifeste satis prodito.

2. Quantum naturalismus Poireti heterodoxia calice gradum attigerit, hic aperta ejus confessio prodit, ubi lumen & legem naturæ habet pro ipso Spiritu Iesu Christi, Christianos faciente & ad vitam æternam ducente, et si literam evangelii ignorent. Id quod quam ἀγεαΦοι sit & αὐτίγεαΦοι, Dissertatione antecedenti demonstravi.

3. Ista Christi formatio, quam Auctor singit, est formatio antichristi. Etenim natura nostra adeo corrupta

C

est.

est, ut ipsius Φρόνημα etiam in optimis moliminibus ob labem philautiae & naturalis αὐτοδιστησία fit ἔχθρα εἰς τὸν τελεῖν, inimicitia adversus Deum Rom. VIII, 7.

4. Meritum Christi & ejus effectus, qui in salvacione est, ad lumen & legem naturae referre, nihil est aliud, quam crassum Neo-Pelagianismum quendam profiteri. Quod vero ipsum Christi meritum Auctori nostro sit vocabulum sensus evangelici plane expers, Dodecadis prioris dissertationibus ultimis demonstratum est. Conf. Dodec. post. Dissert. primam.

5. In reliquis allegati loci verbis nihil est, nisi cumulata ejusdem erroris confessio, cuius centrum hic est duplex: unum in eo, quod auctor gentiles honestiores christianis veris, per evangelium ex Deo renatis, equiparat; alterum quod christianismi medium necessarium, predicationem evangelii, ipsamque ejus animam, quæ in hausta ex eo salutari Christi agnitione consistit, pro re mere accessoria & accidentalia habet.

Locus VI. §.XIII. p. 683. seqq.

Superaest difficultas alia, quæ non omnino nulla videbitur. Etenim scriptura sacra 2 Thess. III, 2. monet, fidem non esse omnium; atqui nos tamen tradimus, divinum hoc fidei lumen in omnibus inesse. Præterea scriptura Rom. V, 1. assertit, fidem iustificare eos, qui ipsam possident, imo & corda ipsorum purificare; Act. XV, 9. atqui constat tamen non omnes esse iustificatos, neque puritatem cordis omnibus obtigisse. Respondeo, lumen fidei in omnibus est eo, quem diximus, sensu idemque nihilominus nullius est, ad neminem pertinet & nemo illud possidet unitive, præterquam qui in cordibus suis ad Deum, ipsum lumen, sincere recurrent: tantisper enim dum extra se vagantes, rebusque externis, carnalibus, sensibilibusque occu-

DISSERTATIO TERTIA.

19

occupati, impetum principii prari, quo ad cordis distractio-
nem perpetuo abripiuntur, secure sequuntur, ibi saurum hunc
intra se non detegunt: ignari ac pauperes, licet thesaurus tan-
tus vere intus adsit. Intus eras, & ego foris, aiebat D.
Augustinus. Mecum eras, & tecum non eram. Quid vero
Scriptura sacra? illa certe idem docet, dicitque Ad. XVII, 28.
nos in Deo vivere, moveri (*seu agere*) & esse, dicit in-
quam Ps. CXXXIX, 7. quo ibo a spiritu tuo? quo fugiam
a facie tua? eadem tradit Rom. I, 18, 19. gentiles veritatem
(lumen, Deum, omnis charitatis principium) in se gerere,
ita tamen, ut eam ibidem detineant, impedianque ne prossiliat,
& divinos radios diffundat, idque per injusitiam suam. Con-
tra alibi Eph. II, 12. testatur, gentiles sine Deo fuisse in
mundo, impiosque Deum labiis suis eloqui, Jer. XII, 2.
qui tamen a cordibus [*seu renibus*] eorum procul abest.
Nemo non videt ista facillime conciliari posse, pariterque id a
nobis supra, cap. V. §. 4. & 5. ubi locus Augustini afferbatur,
offensum fuit. Videlicet, Deus, lumen fidei, veritas increata,
Verbum divinum, Spiritus bonus, a prima origine in anima
existunt, ita ut hac vita durante vires suas nunquam non ex-
ere conentur: adsunt ibidem fulguris in modum identidem e-
minentia, quo anima attonita sopor excutiatur: adsunt inquam,
ac benigna voce summaque patientia animam invitant: dini-
que hic adeft Sapientia æterna, exclamans in regionibus altissi-
mis, omnibus locis ac facultatibus animarum nostrarum: ade-
ste stulti, parvuli, disciplinæ vos traditæ; ad me recur-
rite: ego vobis traditurus sum verba mea: ego timo-
rem Domini vos docebo: ego Spiritum meum abunde
vobis dabo &c. Prov. I. &c. Eadem tamen sapientia ibidem
non dum adeft, hoc est, non bene auditur, neque recepta a no-
bis est atque admissa, multo minus amplexibus bonisque deside-
riis nostris rite excepta: eo quod tot nugæ vanitatesque pere-
G 2 grina

grinæ obſtrepentēs tumultu gravissimo aures noſtras obtundant. Imo cum vel maxime Deus fulgur ſuum vibrat, ſimulque nos per verba organorum ſuorum vocat, nos omnia adhernati reſugimus, & velui vi facta obluſamur pertinaciter tum Deo intus mackinanti, propenſionibusque, ad quas ipſe nos trahit; tum organis vocique, quibus nos revocat ad nos ipſos, ad interio- riora noſtra, in quibus ipſe revera iuſt: namque niſi iuſt, homo ſane ineptus foret, qui vel minima rerum diuinarum momenta intelligeret, utcunq; ei diligenter illa exponerentur, ipſeque ad eaurum ſtudium operam omnem adhiberet: neque enim ſine Deo magis ea cuperet, quam brutum aliquod divino ſenſu carens. Itaque non eſt, quod miremur, homines omnes fideles non eſſe, eriamſt lumen fidei in tenebris ipsorum luceat, Job. I, 5. perindeque nec omnes iuſtificatos eſſe ac puriſicatos: eo quod diuinum hoc lumen neminem iuſtificet, puriſi- ces, fidelemque reddat, niſi quis illud admittat, recipiat, amplectatur, audiat ac ſequatur. Hoc ſi ſiat, operabitur illud, & mala omnia revera ejiciet. Tunc enim & intus reſidebit, ſimulque homo intra ſe morabitur. Sic lumen cum homine erit, homoque cum lumine, ex quo ille corruptioni ſue omni- busque vanitatibus externis vere renuncians, oculos & aures ad centrum ſuum, ubi lumen adeſt, reuferit, paratus illud audire ac ſequi, eriam cum jaclura & contemtu rerum omnium. Atque ejusmodi fides omnium non eſt.

Disquisitio hujus loci.

i. Distinctio Auctoris inter fidei poffeſſionem & deteſſi- onem uſumque non melior eſt illa pontificia inter fidem implicitam & explicitam, informem & formatam. Fides e- nimi, etiam imbecillior, eſt naturæ relativæ, qua, ſimul ac exiſtit, ſeſe refert & applicat ad objectum ſuum, Christum. Quod qua, non præstat, non eſt fides, ſed non

non ens; tantum abest, ut sit thesaurus intra animum reconditus.

2. Augustinus loquitur de motibus gratiae prævenientis, per verbum Dei excitatis, partim etiam de naturali conscientiae stimulo, a Pelagianismo quovis adeo alienus, ut hic impugnatorem illo acriorem vix habuerit unquam.

3. Loci A&t. XVII, 18. vindicias dedi in Dissert. antecedenti. Locus vero Davidicus vindiciis non eget. Quis enim non videt, argumentationem illam, quæ a Dei omnipræsentia ad hypothesin Poiretianam ducitur, esse nullam? Et quid allegatio & abusus loci Rom. I, 18, 19. est aliud, nisi manifesta naturalismi, religionis christiane tectorio incrustati, confessio? Alia ista duo Scripturæ loca cum reliquis omnino optime conciliari possunt, facta distinctione inter usum & abusum luminis naturalis, seu inter statum gentilium humanum & brutum. Poiretiana vero eorundem conciliatio nihil est, nisi mera detorsio.

4. Et quanta speciatim non est depravatio loci e Proverbii adducti? *Adeste futili &c. h. e. ego vobis adsum & insum a prima origine vestra, Deus, lumen fidei, veritas increata, verbum divinum, Spiritus bonus, &c. Ad me recurrite &c. h. e. ego jam per ipsam nascendi sortem vos inhabito?* Item: non adsum h. e. non audior &c. Quænam hac ipsa major esse potest Scripturæ detorsio?

5. Namque nisi inesset, homo sane ineptus foret &c. Hoc argumentum habet formam hujus inepti dilemmatis: Deus aut jam tum per naturam cum gratiae principio est in homine, aut homo est ineptus, qui vel minima rerum divinarum momenta intelligat. Datur enim hoc tertium: aut aptus redditur per gratiam prævenientem

& preparantem, quæ ad hominum animos excitandos verbi ministerio uitur.

6. Reliqua allegati loci, cum iis, quæ hactenus dicta sunt, collata per se concidunt.

Locus VII. §. XIV.

Nonnulli fortasse clamabunt, iphec fanatica esse & entusiasmum sapere, quibus docetur lumen aliquod internum in hominibus omnibus inesse, esseque Deum ipsum; idem rerum divinarum eternarumque cognitione imbuere omnes, qui creature omnibus, omnique amore creaturarum & in primis propria corruptione vacui, tacite in centrum intimumque animæ penetrare descendunt. O tempora! tantam esse hominum nequitiam ac malignam cœcitatem, ut Deum ex cordibus suis ejicere velint, & data opera cum in actionibus tum in centro cogitationum suarum nolint superesse, perinde ac impius ille, de quo David ait, Psalm. XXXVI, 3, 4. quod lumen atque instructionem respuat, veritus ne peccatum suum inveniat. Diceres simia similes, speculam, in qua deformitatem suam conficit, frangenti, aut latroni, lucernam extinguevit, que criminis sua in oculos hominum exponeret. Quid vero respondebunt veritatis, quas modo vidimus, & ipsius scripture verbis confirmavimus, quasque confessim isdem porro confirmare pergerimus.

Disquisitio hujus loci.

I. Hypothesis Poireti non solum non est aliena ab objecto errore, seu falso principio, sed recta etiam via ducit ad Pelagianismum quendam novum, eumque manifeste satis prodit, uti Dissert. antecedenti demonstratum est, & ex animadversione hactenus data liquet. Aliud sane est, statuere *lumen aliquod naturale* in homine; aliud, illud pro ipso *Deg* & principio *gratia* habere, & inde

de universam hominis restitutionem ac salutem derivare.

2. Et hoc ipsum justissimum grandis erroris ἔγκλημα Auctor exclamacione & increpatione sua pathetica incrassat quidem, at nequaquam diluit.

3. Qui naturam ejusque lumen intra se habent pro Deo & pro principio gratiae, non minus sane, et si longe speciosius, errant, quam illi, qui Deum ex animo suo quasi ejectum eunt. Ut enim hi supremi Numinis contemtum committunt, sic isti quandam idololatriæ speciem formant. A quibus præcipitiis evangelicus Dei cultor alienissimus est.

4. Ex his liquet, similia ista odiosissima, a simia & a latrone desumpta, hic esse diffimillima. *Uſus luminis fatui* non minus habet periculi, quam *veri luminis contemtus*. Auctor inconsulta unius extremi evitazione in alterum incidit.

5. Ultimis allegati loci verbis nihil inesse, quod responsive, seu discussione, egeat, ex haec tenus dictis liquet.

Locus VIII. §. XV.

Ante omnia autem videamus, quam absurdi sint, qui talia obiciunt, aut potius, quam graviter ingenia eorum effascinaverit Satanás, quandoquidem iudem, qui præsentiam diuinam in intimo animarum negant, docent tamen Deum necessario ratione essentiæ suæ ubique, in ipsiusque adeo rebus externis corporeisque, veluti in lapide, arbore aut cane, præsentem adesse. Opinionem istam, cuius veritatem alibi examinavimus, nunc quidem non urgemos, verum ut ad hominem argumentemur, quæro ex iis, anne Deus ratione essentiæ suæ modo quodam bruto ac inefficaci, sine cogitatione & sine operatione, rebus

fit

fit præsens? id proœctio nemo simpliciter affirmandum putabit. Ergone Deus ita in rebus inanimatis est, ut ibidem cogitationes, lumen & amorem suum producat? An inquam ista in lapide, in arbore, in bestia efformat? Quod si respondent affirmando (forte enim nonnulli usque adeo absurdii erunt,) quidni ergo idem efficeret in homine, id quod nos affirmamus? At fortasse dicent, Deum ita in rebus corporeis non operari, quanquam in tisdem præsens sit, sic tamen, ut nonnisi convenienter naturæ ac capacitatì rerum harum ibidem agat. Quibus positis, quid causæ erit, quoniam hinc Deum, quem effentia sua in homine, & quidem in anima præsentem esse utique concedunt, negant in eadem modo naturæ atque capacitati anime convenienter agere atque operari? Atqui certe anima capax est intelligentie, aptaque nata quæ Deum cognoscat & amet, quæ cum ipso commercium habeat, quæ divina lumina, impressio-nesque & inspirationes ejus audiat ac recipiat. Ergo quid obstat, quo minus Deus, quem in anima esse negare non possunt, ibidem naturæ ejus facultatibusque convenienter agat? Quid obstat, quo minus, dum in ea adest, intelligentiam sic illumiinet, ut ipsum cognoscat, voluntatemque ad sui amorem moveat atque impellat?

Disquisitio hujus loci.

1. Locus hic in fronte gerit convicium, viro docto & pio indignum, quo malam suam caussam non ornat, sed onerat auctor.

2. Argumentatio ista ad hominem, ab omniprésentia Dei desumpta, nullius est momenti. Nec enim omni-présentia materiali & tam crasso modo concipienda est, ut hic dissentientibus tribuit. Auctor, tantum abest, ut aliquis Deo modum præsentiae per cogitationes, lumen & amorem in rebus inanimatis tribuat, quem is ne quidem

quidem in ipsis hominibus, extra gratiæ ordinem adhuc positis, exferit.

3. Falsum, & in specie Pelagianum ac Socinianum est, dicere, animam jam tum in ipso statu naturali (de quo hic sermo est) capacem esse intelligentiæ (nimurum spiritualis & salutaris, de qua itidem sermo est) aptamque natam, quæ Deum cognoscat & amet, & quæ cum ipso commercium habeat &c. Hoc enim est Paulus in faciem contradicere, quando is gravissime negat, hominem animalem percipere & cognoscere ea, quæ Spiritus Dei sunt. 1 Cor. II, 14. &c.

4. Atque ita cum medio isto termino spiritualis animæ capacitatis concidit etiam auctoris conclusio, seu applicatio, a præsentia generalissima, &, pro natura immensi spiritus, captum omnem superante, ad commercium speciale facta. Inepta potius sunt interrogatiunculae: *quid obstat?* *quid obstat?* Ingens enim labis originalis moles obstat; sanctitas Dei purissima obstat quam gravissime, quo minus Deus cum peccatore, qui per evangelium nondum ad ordinem salutis adductus est, e gratiæ principio tantæ amicitiæ commercium ineat.

Locus IX. §. XVI.

Certe, Deus aut otiosus est, ubi præsens est; aut vero ibidem operatur contra naturam facultatesque rerum, in quibus est, aut in iis agit, dum ille resistunt atque inhabiles sunt; aut denique agere in iis definit, neque quicquam in eis operatur proper ineptas earum habitudines. Si quis primum dicat aut secundum, is nugabitur impieque ineptius. Qui tertium, is aut plura nobis largietur, quam volebamus, aut certe tantundem dabit: nos enim dicimus, ut in anima præsens sit, lumen tamen amoremque suum eidem unitive fruendum

D

non

non dare, quamdiu illa suis distractionibus propriaque activitate facultatum corruptarum ei resulet, licet interea sic in ea operetur, ut eam appellet inclinetque, operamque det, ut illic undique admittatur. Quodsi, quod quarto loco attulimus, animæ inhabilitas & distractionis vane impediunt, quo minus Deus in anima operetur pro ejus capacitate, hoc est, pro modo quo Deum inter atque animam commercium intercedere potest: ergo alia ratio erit, si inhabilitas ea tollatur. Ergo si anima a propriis tenebris pigmentisque suis considerandis, ab activitate proprieæ mentis, ab amoris suis, omnibusque, quibus adhæret, quæque Deus non sunt, studia sua revocet: incipiatque in se ita quiescere, ut nihil peregrini admittat, ad Deum solum interim in centro suo aspirans cum desiderio divinas ejus emanationes ibidem recipiendi, Deus utique non potest, quin ibidem & illucescat & doceat, amoremque suum in ea producat atque omnia bona divina in eandem effundat. Que si ita non essent, consequens esset ut diceretur, etiam si anima inhabilis non foret, Deum tamen in eadem non agere qua Deum, sed otiosum saltem in ea adesse, ad instar trunci inanimati, aut omnino in ea presentem non esse. Quorum alterum impium est, alterum vero a doctrina eorum, qui dicunt Deum in omnibus rebus ratione essentia sua presentem esse, alienum.

Disquisitio hujus loci.

1. Deus nec otiosus est, ubi præsens est; nec ibidem operatur contra naturam & facultates rerum, in quibus est.

2. In tertio isto agendi modo Auctor per sophisma petit principii sui confundit lumen naturæ, & operandi modum plane naturalem, cum ipso Deo, tanquam ex oeconomia gratiæ jam tum præsenti, ejusque operatione, gratia:

gratia & evangelio plena. Admissum autem hoc sophismate in logographo suo sibi placet, persuasus nodum istum esse insolubilem. Et hæc ipsa notionum confusio conjuncta est cum illa, qua repugnantiam, qua ipsum naturale lumen repellitur, non distinguit a repugnantia, evangelio & gratiæ proprie sic dictæ opposita.

3. Secundum modum quartum ad Deum in centro suo naturali (de quo sermo est) adspirare, est per quādām idololatrike speciem naturam pro Deo habere, & imaginaria emanationum ejusdem effusione & receptione deludi.

4. Quæcum ita sint, consequens Auctoris dilemmaticum per se concidit. Nec enim anima eam habet habilitatem ad commercium cum Deo, quam is ipsi tribuit, & Deus tamen in ipsam potest agere, et si in ea secundum Poiretanam hypothesin natura præsens non sit præsentia tali, quæ ad oeconomiam gratiæ pertinet.

Locus X. §. XVII.

Diabolus equidem non repugnat, quo minus Deus in anima præsens agnoscatur, nec egre fert de modo præsentie hujus varie disceptari, modo ne de ea præsentia, quæ omnium verissima est, mentio fiat: Itaque dicant licet, Deum in anima præsentem adesse vel per substantiam suam, vel necessario, vel instar spati animam in se continentis, vel per miraculum, vel per dona operationesque peculiares, quæ præterierint, deinceps non amplius expectandæ: hæc omnia enim diabolicum ejus imperium non tam labefaciant, quam firmant. At si quis verissimum divinæ præsentie modum afferat, dicatque, Deum in animæ centro adesse, indeque in animam cum sui ipsius ac rerum creatarum renunciatione ad ipsum conversam cogniti-

D 2

onis

onis sue lumina effundere, hoc Satanam dolore afficit, qui portam ita aperiri videt, qua homines e servitute sua, hoc est, ab elemento corruptionis, cui renunciandum est, liberi exire possint. Itaque doctrinam hanc Enthusiasmi ream faciet: etiam si id nominis multo magis conveniat omnibus, qui praesentiam Dei essentialem in omnibus ac singulis, in ipsisque rebus corporeis, agnoscunt.

Disquisitio hujus loci.

1. Diabolum ferre posse nudam de Dei praesentia speculationem, ac impugnare eum praesentiæ divinæ modum, qui ejus imperium labefactat, per se & in thesi verum est. Sed hoc ipsum nihil juvat Poiretum, qui veræ theses falsam facit applicationem, eum praesentiæ & operationis modum, qui plane imaginarius est, pro vero habens. Certe enim diabolus falso creditum hunc praesentiæ & operationis modum, quo natura habetur pro gratia, & pro Deo ipso, ferre potest quam lubentissime; ut qui imperium ipsius non solum non labefactat, sed regni etiam divini coloribus exornat.

2. Sunt itaque haec duo extrema: ex una parte, inianni speculatione, ex altera falsa persuasione de praesentia & operatione divina decipi. In quorum medio constitut veritas de eo praesentiæ & operationis divinæ modo, qui oeconomia gratiæ conformis est, & ab utroque isto extremo abducit.

3. Atque ita Auctor uti enthusiasmi notam ipse nequaquam effugit, sic eandem sententiæ evangelicæ perperam tribuit.

Locus XI. §. XVIII.

*Enthusiastæ autem (siquidem tantis animis banc vocem
urgen*

urgent, aut ejus objectione insultant: atqui vocis expressio tanti certe non est, modo ne falsa ei cogitatio respondet,) alii veri sunt, alii falsi. Enthusiastæ veri primo quidem sunt [modo quodam generali] homines omnes & singuli, in quorum animabus ipsa divinitas, non quidem ex necessitate essentiæ, verum ex arbitrio voluntatis suæ, præsens adeſt. Quisquis bac ratione Enthusiasta non est, is aut diabolus sit oportet, aut damnatus: siquidem inter creaturas spirituales preter has duas nulle sunt, que Deum in se non gerant, licet & harum fundus atq[ue] natura inclinationem, qua ad lumen felicitatemque adspirant, retinuerint, quam nullo tempore deponent, quippe quum Dei habitatio eandem in iis impressam reliquerit, quando eas creavit, & divinis suis conatibus ibidem præsens adiuit. Verum quandoquidem immortalis ea inclinatio cum sui ipsius studio damnabili, cum viribus propriis, proprioque amore conjuncta existit; hinc divinum lumen nunquam attingent: sed per adspirationem hanc fundi facultatumque actuorum nunquam intermituram, quibus tamen Deus, Auctor luminis ac boni, sese non rejunget, eternum torquebuntur. Utrum objectatores inveniantur, qui in his nomen suum profiteri malint, quam Enthusiastæ audire, aut Deum intra se presentem profiteri, equidem haud ita scio. D. Augustinus certe nihil hic extimescebat, quando Deo suo ingeminabat: Mecum eras: INTUS eras: & profecto vœ illis, qui ad eum modum Enthusiastæ non sunt, quique ita penitissime a Deo separati jam sunt, ut eum intra se presentem & cum adspirationibus intelligentiae ac cordium suorum cooperuntem non amplius gerant.

Disquisitio hujus loci.

I. Si Deus non ex necessitate essentiæ, sed ex arbitrio voluntatis suæ animæ præsens est, Auctor ipse destruit

struit argumentum suum, quod paulo ante a præsentia
divina desumtum usurpavit, et si *νατ' αὐθεωπω.*

2. In animabus ipsam divinitatem eo, quem Poiretus comminiscitur, modo præsentem esse, hic sine fundamento supponit, tanquam jam datum, quod tamen haec tenus negatum est. Atque ita simul concidit Enthusiasmus Poireti, isti divinitatis præsentiae & operationi superstructus.

3. Argumentum illud disjunctivum: *quisquis hac ratione enthuſiaſta non eſt, iſi aut diabolus ſit oportet, aut damnatus, nullius plane eſt roboris.* Evoluta enim vocis, *damnatus, æquivocatione, aut ultimum membrum conceditur, scilicet hominem natura vivere in ſtatu damnable, qui jam aliquod exitii æterni initium in ſe habeat; aut negatur, ſi vocem damnatus velis intelligere de damnationis & exitii consummatione.* Et hac adhibita negatione datur quartum, scilicet nec eſt enthuſiaſta, nec diabolus, nec damnatus, ſed homo ſtatus medii, uti enthuſiaſmi Poiretiani expers, ſic etiam a forte diabolorum & damnatorum admodum diversus, & obiectum oeconomiaæ gratiæ, cuius capax non eſt diabolus, & cuius terminum homines dannati ſua culpa præterire ſiverunt.

4. Atque ita potest aliquis Anti Poiretianus eſſe obiectator, qui tamen æque a negatione Dei intra ſe præfentis, nimirum secundum oeconomiam gratiæ, quam ab enthuſiaſmo illo naturali & falſo credito alienus eſt.

5. Augustini mens jam ſupra fuit exposita & vindicata. Deus ante ipsius conversionem intus erat non per modum naturalis implantationis, ſed evangelicæ opera-

perationis, seu gratiae prævenientis, per vocem legis & evangelii motus ipsi bonos inspirantis.

6. Præceps sane est fulmen, quod in eos, qui enthusiastæ esse nolunt, tanquam in illos, qui penitus a Deo separati sint, vibratur. Datur etiam tertium in statu evangelicorum christianorum, non minus ab hac separatione, quam enthusiastica illa cum Deo coniunctione, omnino falso credita, sejunctorum.

Locus XII. §.ibid.

*Deinde alii sunt Enthusiastæ boni, qui ingressiōnibus di-
vini lumenis, in tenebris suis illucescentiis, rite obsecuti, tene-
bras suas feliciter dissipatas vident, Deum ipsum cognoscunt,
eumque & amorem ejus possident, quibus instruuntur ac diri-
guntur. Tales fuerunt superioribus seculis Sancti omnes, pu-
ta Patriarche, fidelesque sub lege naturæ, tum sub lege Mo-
ysis Iudei fideles, itemque veri Christiani Ecclesiæ primitivæ,
qui habebant Spiritum S. undionemque exalto: verbo, tales
utique & omni memoria esse debuerunt, quotquot servari de-
bebant. Quis vero ita meticulosus erit, ut tantis bonis renunci-
aturus sit, ne scilicet Enthusiasta vel fanaticus a profanis
mentibus habeatur? Næ ulter longe animatus erat S. Ignatius,
incomparabilis ille Dei & amator & martyr, qui in ma-
gno honore ponebat titulum arque cognomen THEOPHORI,
quem epistolis ejus præfixum legimus: Ιγνάτιος ὁ καὶ Θεοφόρος,
Ignatius Theophorus, seu Ignatius Deum gerens in corde; O
Deus bone, quam parum iustata hodie arque parum cognita
sunt verba illa hominibus nostris! non magis sane atque Majes-
tia tua immensa, cuius cognitio ab usu eorum penitus jam re-
cessit! Hec omnia jam fanaticorum sunt scilicet, atque ad En-
thusiasmum pertinent! Sed beatos illos, quibus datum est En-
thu-*

enthusiastas esse ejus generis! Namque o bonum vere infinitum, quisquis te possidet, cætera omnia & ineptos illos sermones hominum terrestrium tam infeliciter cœcumentium facile ridebit.

Disquisitio hujus loci.

1. Fideles, quotquot omni memoria exstiterunt, *enthusiastas* vocare, audacior est hujus vocabuli usus. Istorum vero illuminationem haud obscure ad insitum illud, quale Auctor fingit, gratia principium referre, est gratiam habere pro natura, quemadmodum per enthusiasmum illum, antecedenti loco propugnatum, natura habetur pro gratia.

2. Aliud est, a profanis mentibus falso haberi pro enthusiasta ac fanatico, & hujus scommatis metu summis bonis renuntiare: aliud abhorrire ab enthusiasmo Poiretiano. Ab hoc enim alienissimi fuerunt illi etiam, quos pietismi scommate notatos lingua *αντικεμένων* maledicta etiam enthusiasmi & fanaticismi criminatione oneravit.

3. Et hi ipsi, quemadmodum in universum omnes veri nominis christiani, cum Ignatio sunt θεοφόροι, qui Deum gerunt in corde, et si, uti jam dictum est, nihil habent commercii cum naturalismo illo, quem Poiretus enthusiasmi nomine exornat. Quibus observatis reliqua allegati loci ad *εἰρηναῖον* recidunt.

4. Ea, quæ Auctor deinceps de iis tradit, qui superficiarias & nude literales imaginationis & rationis suæ ideas de rebus divinis pro ipsis rebus, ac ipsarum veritatum, possessione venditant, hue non pertinent, ideoque nec transcripta sunt. Ea enim a veritate aberratio non magis probanda est, quam Poiretiana illa.

la. Ita vero, quæ sub §. XVIII. finem de entusiasmo
τῶν μετεπορθεόντων metaphysico subjungit, non observa-
vit vir doctissimus, in se ac Burignoniā suam quam
maxime convenire.

5. Quæ §. XIX. traduntur, bene se haberent, nisi in
illis operatio Dei mediata cum immediata confunde-
retur, & omnia fere ad hanc referrentur. Et hanc a-
berrationem notare, non est inventum satanicum, uti Au-
tor existimat, sed officium rediūs sentientium evange-
licum.

Locus XIII. §. XX.

Nonnulli forte usque eo difficiles & morosi erant, ut ipsis
nec tam manifesta documenta satisfaciāti, nisi pariter videant
sacras paginas nobiscum & sentire & loqui p̄fīmque inculca-
re, Deum, ut hominem reparet, in anima exoriri, ibidemque
ceu lumen, lumen inquam fidei, Doctorem veritatis & omnis
boni fontem adesse. Itaque sequentia scripturæ dicta observa-
ri velim. Moses Israelitis viam communisstratur, qua in Dei
gratiam redeant ac salute potiamur, eos intra se vocat, docet
que principium fontemque, unde fides, divinus amor, viresque
ad præcepta Dei observanda necessariae fluant, in ipsis adesse,
ipsose eidem libere posse & adhærere & non a'hærere: que-
cunque vero a se adhuc dicta fuerant, eum scopum habuisse, ut
eos intra se reduceret. Proposui, inquit D'cu. XXX. vobis
vitam & mortem, benedictionem & maledictionem.
Elige ergo vitam, ut & tu vivas & posteritas tua, a-
mando Deum Dominum tuum, & voci ipsius obtē-
perando eique adhērendo. Mandatum hoc non est su-
pra te, nec procul positum - siquidem verbum hoc
[hac res] proxime juxta te est valde, in ore & corde
tuo, ut illud facias. *Quibus verbis significat, in corde Is-*

raclitarum adesse lumen divinum, (id quod pariter ore testari debebunt) ilque cognitionem amoremque Dei ius exponere atque inspirare, ex eoque divinam virtutem emanare, cui si adhærent, facile omnia exsequantur. D. Paulus docet, principium hoc virtutis amorisque divini, quod Moses in corde adesse dicit, lumen esse fidei internæ, ad quam homines verbis exterris Evangelii vocabat Apostolus: Postquam enim verba Moses attulerat, subiungit Rom. X, 8. Hoc est verbum fidei, quod annunciamus. Etenim Paulus Christum annunciat: aiqui Christus verbum est lumenque divinum animas quidem nutritus atque illuminans, ex quo illæ occupationibus carnalibus missis Deo aures dare volent: si autem nolint, meditis in tenebris ipsarum idem manet tamen, at tenebræ eam minime vident; uti D. Iohannes verbis obseruat Jo. I, 1. &c. vere aureis: In verbo, quod erat Deus, erat vita; & vita erat lux hominum: hæc lux lucet in tenebris: at tenebræ non comprehendenterunt eam. Hæc lux (verbum divinum) erat vera lux illuminans omnem hominem venientem in mundum. Erat (hoc lumen) in mundo, & mundus factus est per ipsum: at mundus ipsum non cognovit. Venit in propria (manifestavit se intus in anima), hic enim vere locus est eius proprius) at sui (hoc est anima per & proper illud creatæ, quasque de novo creare volebat) illud non admirerunt. Quotquot autem illud admirerant, ius potestatem dedit, ut Filii Dei fierent: & hi credunt, seu fidem habent, in nomen ipsius, neque nati sunt ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate hominis, (non adhærent amplius nativitatí veteris, affectionibus carnalibus, neque operationibus rationis propriæ humanae) sed nati sunt ex Deo, cui sese in fundo cordis tradiderunt, qui ipsos ibidem immutavit atque regeneravit. Et hic quidem nova illa nativitas, hic creatio illa altera.

tera exspectanda est, quam Deus hic praesens lumine suo in tenebras nostras effuso ibidem operatur. Magnifica eam describit Paulus 2 Cor. IV, 6. inquiens: Deus, qui dixit, ut lumen oriretur ex tenebris, idem ille in cordibus nostris illuminat. Quæ verba quicquid diximus breviter & aperte comprehendunt, ostenduntque, Deum creatorem, eundemque & lumen hoc in corde hominis tenebroso lucens, ut hominem denuo creet & a lapsu suo reparat. Hic eum David quærebat mediis in tenebris aique silenio animæ intra se collectus: Benedicam Domino, qui mihi sic consultit, ut noctu (in tenebris mentis) RENES mei (cogitationes meæ intus intra me) instruant me Psalm. XVI, 7. COR meum dicit mihi exte: Quære faciem meam. Psalm. XXVII, 8. Ibidem eum quærebat Esaias, Jes. XXVI, 9. Anima mea desideravit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis mane vigilabo ad te. Idem & impios eodem invitans Dei nomine inclamat: Redite, prævaricatores, ad cor. Jes. XLVI, 8. Paulus ait Christum habitare in CORDIBUS per lumen FIDEI Eph. III, 17. Salomon, qui eum ibidem invenerat, hortatur ut obseruemus cor, tanquam fontem vite, diligenterque caveamus, ne qua intra illud recipiamus, quibus lumen hoc divinaque hæc vita extingvantur, qualia sunt affectiones carnales: Filii, inquit Prov. IV, 23. omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit, sive ex eo oritur vita fons, hoc est, ipse Deus. Idemque rex sapientissimus Prov. XX, 27. jubet cor contueri veluti locum, unde Deus lumen divinum effundat, Spiritus hominis LAMPAS est Domini, abditissima quæque intus penetrans. Dida alia innumera, quæ veritatem eandem comprobant, nunc præterimus. Quotquot dicunt, legem Dei cordibus impressam esse, eodem pertinent; etenim Lex Dei, divinum lumen, ipse Deus in rei substantia non dif-
ferunt.

ferunt. Sic quotiescumque Christus dicitur Lux mundi, lux hominum, aut simpliciter lumen appellatur, idem docetur; illi enim nomen hoc competit eo quod oritur in corde (ut Petrus sit 2 Petr. I, 19.) & oculos intellectus illuminat; unde & jam inde a prima mundi origine animas ad lumen suum, quod in intimitate earum effundit, vocavit. Hoc ipse nobis indigit in illustri loco, quem alias varie interpretantur: ubi Iudeus Jo. VIII, 25. querentibus, tu quis es? respondet, principio & nunc loquens; docens, se eum esse, qui in corde hominis a principio locutus fit, ut divinum ei lumen ostenderet, eumque a tenebris revocaret; imo & Adamum eo tempore ab interna voce sua nimiopere distractum, foris quoque compellasse: eundemque & nunc hominibus ea de causa, eodemque fine loqui.

Disquisitio hujus loci.

1. Quandoquidem Auctor noster sapere solet sine Scriptura sacra, parum abest, quin hic miretur illos, qui negant, sibi in rebus christianaë religionis satisficeri, nisi videant, istius dogmata sub auctoritate Scripturæ proponi. Quorum imbecillitati, quam supponit, consulturus, quasi ex abundanti se convertit ad colligenda Scripturæ sacræ testimonia. In quibus quid habeat præfidii pro hypothesis suis, nunc dispiciemus.

2. Ad locum Mosaicum, qui agmen hic ducit, quod attinet, non est quaestio, an in corde Israëlitarum adsumir lumen divinum, quale illud ratione indolis ac effectus Auctor describit, sed utrum illud in ipsis fuerit natura, per ipsam nativitatem; an vero per subfidium revelationis & per ministerium revelatae veritatis? Oraculum Mosis non illud, sed hoc probat; utpote coniunctum cum ipsius Mosis ministerio, quo, ut de officio reliquorum

rum doctorum nihil dicam, is inde ab egressu Israelitarum jam in quadragesimum usque annum functus fuit.

3. Ex his Mosaicis loci vindiciis sua etiam integritas loco Paulino constat. In Actis & in singulis Pauli & reliquorum Apostolorum epistolis nullum plane est vestigium, Apostolos, ut hic supponit Poiretus, externis Evangelii verbis homines ad lumen fidei internum, tanquam jani natura insitum, vocasse. E contrario omnia, ut Dissert. antecedenti demonstratum est, eo tendunt, ut evincant, hominem natura plane esse emortuum ad omne bonum, esse meras tenebras in spiritu alibus, uti virtute, sic etiam omni lumine vere spirituali & supernaturali penitus destitutum; atque ita hominem non revocandum esse ad *lumen fidei jam insitum*, sed egere regeneratione, qua, tanquam nova creatione quadam, *fides in ipso accendatur*. Nec loco Joannis Auctorem quidquam lucrari, patet ex ejusdem vindiciis Dissert. antecedenti datis.

4. Loci Paulini ex 2 Cor. IV, 6. allegati manifesta est detorsio. Deus enim cordi Pauli non illuxit per lumen aliquod jam *insitum* & tantum exfluscitatum, sed per lumen ex verbo Evangelii, quod ipsi Christus partim *αὐτοπροσώπως* in via Damascena, partim per Ananiam annuntiaverat, *illatum & infusum*.

5. Locus Davidis prior Psal. XVI, 7. nihil habet de lumine gratiae jam tum per naturam insito; uti nec posterior, quemadmodum unusquisque, a Poiretiane hypotheseos præjudicio vacuus, animadvertis. Et quomodo Auctor pro ista tuenda loca querere potuit in Psalmis, in quibus tam copiosum habetur encomium

E 3

verbi

verbi non innati, sed revelati in Scriptura sacra? Ubi nam in Psalmo XIX. & CXIX. ubi David totus est in revelati verbi encomiis, vel minimum est vestigium hypotheseos Poiretiānæ?

6. Ut in reliquorum, sic etiam in Jesaianorum locorum interpretatione nihil est, nisi petitio principii. Nam ecclesia evangelica nequaquam negat, quod Jesaias cum reliquis scriptoribus ~~conveūscis~~ adūscit, sed tantum negat, & quidem ipsa Scriptura p̄r̄eunte, talia jam tum per ipsam naturam esse in homine.

7. Et quanta non est ~~ἀσυλλογίσια~~, viro docto indigna, ex verbis Pauli Eph. III. ita argumentari: Christus habitat in cordibus per lumen fidei; ergo id lumen Ephesii jam tum natura in se habuerunt. Contrarium ex ipsa hac epistola passim patescere, vel tirones hermeneuticæ sacræ viderint.

8. De locis Salomonis videatur animadversio, paucō ante numero sexto data.

9. De iis, quæ Auctōr sub allegati loci finem de aliis Scripturæ dictis tradit, ex animadversione hactenus data facile potest judicari. Et quamvis locum Joanneum cum Poireto non satis commode vertas: *principio & nunc loquens*, tamen inde nequaquam sequitur, quod is intendit. Locutus enim est Christus non *in hominibus ex illis ipsis*, seu e principio quodam gratiæ ipsis per ipsam naturam jam insito, sed *ad homines*, e principio gratiæ extra ipsos posito, & illis per evangelium demum inferendo.

10. Hæc hactenus de Neo-Pelagianismo quodam Poireti in eo, quod naturam pro gratia habet. Idem fere argumentum prosequitur c. XIII. de *statu gentilium salvatorum*.

salvatorum sub lege naturæ. Quæ ejus doctrina quia cum ea, quæ hac & antecedenti Dissertatione examinata est, maxima ex parte convenit, peculiarem disquisitionem non requirit. Sufficiant itaque, ut de ea dextre judicari possit, sequentia monita.

OBSERVATIONES in Oecon. L. III. c. XIII. de statu gentium suum salvatorum sub lege naturæ.

§. I. Quæcunque gentes per orbem dispersæ habuerunt, partim ex adminiculo antiquissimæ traditionis Noachicæ, partim e subsidio commercii cum Judæis, aut ex fama religionis Judaicæ, vel etiam ex oeconomia Dei apud nonnullos plane extraordinaria, ea omnia Poi-retus refert ad statum ipsarum naturalem, & ad ipsam naturam, hac ratione cum Pelagianis & Socinianis naturæ vires & fortæ in præjudicium gratæ evrehens.

§. II. In encomiis quorundam philosophorum auctor clarissimus nimius est, istos pro viris purissimis, sanctissimis, generosissimis, ac vel maxime divinis, immo pro iis habens, ad quos vix hodie medios inter Christianos accedant ulli: addens: Amo profecto illos, immo & veneror in Christo propter Divinum verbum, cai in cordibus suis obediebant, peritura omnia contempnendo. Quid? quod sibi ipsi beatissimam hominum istorum fortæ exoptat, quando mox ita pergit: Optarem isidem perfectionibus ac virtutibus christianis induitus esse, quibus illi operationibus Spiritus Dei se committentes, a quo & ad tantam puritatem sunt eveclis; neque dubito, futurum esse, quando Christus appariturus est, ut illi una cum eo in gloria compareant. Et de Diogene secundum Epicetum affirmat, ipsum vite aeo sanctæ exemplar præbuisse,

buisse, ut non facile invenias, quod ad vitam Christi proprius accedat, ipsum cum ultimorum temporum S. Francisco comparans.

¶. III. Non vero aliud effusissimi hujus encomii habuit fundamentum Auctor, quam illud, quod in praedicatis gentilium istorum virtutibus & apophthegmatis ipse querit. Et ad apophthegmata quidem rediisse pleaque, ita ut ex iis etiam de vita philosophorum maxima ex parte fuerit judicatum, non nesciunt historiæ philosophicæ periti. Verum enim vero quantopere ipsa indoles & status animi ab ipsis per apophthegmata scite & sapienter dictis apud plerosque abhoruerit, immo quod iste cum hisce nequaquam fuerit ~~adversarius~~, vel solum CICERONIS exemplum ostendit. Quod si enim hunc ipsum e præclaris ipsius effatis, quibus scripta ipsius philosophica abundant, dijudicare volueris, habebis exemplar virtutum, quod secundum Poiretianum typum est incomparabile. At si vitam ejus ac mores animique statum ex iis characteribus, quos scripta ejus partim eadem, partim alia, conspicuos faciunt, paulo curatius inspexeris, deprehendes hominem mente vanissimum, ab interno Dei cultu & a vero virtutum exercitio plane alienum, in primis vero mancipium ambitionis miserrimum. Atque ita de eo omnino usurpari poterit tritum illud, Poireto tantopere invisum: *virtutes gentilium fuisse splendida peccata.* Et quis dubitarer, hoc ipsum de multis etiam aliis, & ex parte de iis etiam, in quorum elogiis tam effusus est Auctor, & que valere?

¶. IV. Quantis sordibus philosophia Pythagoræum, Platoniorum & Stoicorum moralis scaturerit; quantis laboraverit morbis; & quam plumbeum sensum sepe

DISSERTATIO TERTIA.

41

Læpe aurea philosophorum verba habeant, periti non nesciunt. Ipse ego pro tenuitate mea id detexi in medicina mentis Part. I. quæ de historia philosophica agit. Et hæc ipsa observatio lectori esse potest iustar regulæ hermeneuticæ in dijudicandis iis, quæ a Poireto in medium producta sunt.

§. V. Immo fac, doctrinam gentilium quorundam moralem fuisse purissimam; quid tum? Sic enim nihil fuisset, nisi mera lex; evangelii de &c in Christo plane expers. Cui quod Poiretus viam tribuit ad salutem æternam, unus est e præcipuis ipsius erroribus. Et hic in ipso eo est exstantior, quo majores fuere vite istius moralis defectus in paganis, ab ipso nequaquam agniti.

§. VI. Ipsum vero Evangelium a Poireto tantum pro re secundaria & accessoria, quæ salva salute abesse & adesse potuerit, haberi, manifestum denuo est ex hoc ipso capite. Etenim evangelii defectum in adeunda salute is parum, immo nihil curat. Nam salutis essentia §. IV. ab ipso expresse in eo ponitur, ut *homo Deum amet ac motibus ejus internâ se tradat*, riotibus scilicet ab ipso naturali lumine in ipso excitatis. Quid hoc est aliud, quam salutem æternam ipsi etiam legi naturæ adscribere? Conf.

§. XI. ubi *ignorationem evangelii*, tanquam rei leviculae, vocat *ignorationem historicarum quarundam circumstantiarum*. Quando autem supposititia illa de evangelio oracula, quæ falso credita Sibyllarum carmina una cum quarto libro Esdræ habent, §. V. pro genuinis accipit, gentibus tribuit evangelium, quod non habuerunt.

§. VII. Nec prætereundum hic est, quod objectionem de *immortalitate animalium*, a gentilibus passim in du-

F bium

bium vocata, §. IX. ita solvat, ut neget, eam saluti ipsorum obstitisse, addens, *Deum, quando suos purificat, sensum pei adie mpus in iis supprimere.*

§. VIII. Hæc sufficient ad dijudicationem c. XIII. de statu gentilium. Quibus hoc denique monitum subjungo: Esse hæc duo extrema, ex una parte gentiles simpliciter damnare; ex altera, ipsis salutem ad ipsius naturæ corruptæ instinctum ductumque cum Poireto tribuere. In quorum extremorum medio mihi hæc placet veritas: omni tempore gentiles quosdam fuisse salvatos, non vero tanquam gentiles & evangelii de Christo expertes, sed ejus participes factos, vel per traditionis, vel per commercii viam & famæ adminiculum, aut per revelationem Dei extraordinariam.

§. IX. Ceterum conferenda hic fuit, quæ Auctor L. IV. c. I. §. IV. V. p. 47. de benedictione naturæ tradit, ubi consueto naturæ & gratiæ regno itidem, quæ naturalia fuit, pro supernaturalibus habet.

OBSERVATIONES in caput I. Libri V. p. 325. seqqv.

§. I. Hoc caput inscribitur: *de interiori operatione Dei contra heresim Pelagianam.* Cujus cum delineationem aliquam fecisset Auctor, §. V. eidem hoc subjungit epiphonema: *Vides hic substantiam heresios Pelagianæ, quæ omnium, quas satanæ officina unquam prodidit, brutissima, pulcherrima, atque omnium maxime exitialis est. u. t. λ.* Immo §. VII. hæc est summa: *Pelagianismus esse atheismi genus subtilissimum, & omnium maxime exitiale.* Ipsa vero tractatio sub capitil finem inter alia his concluditur verbis: *Deus me*

me ita ab hac hæresi abalienavit, ut nihil eque abomineret quam hæresin hanc exscrabilem, sine qua malum apud inferos esse, quam cum illa cælos habitare, certus, me apud inferos sine ea Deum in corde meo operantem retinere posse, quod cælorum vicem mihi redderet: cum in calis cum ea constitutus, non possem non ex iis perturbari instar demonis, licet inter Cherubinos & Seraphinos dispositus fuissim. Hæresis hæc ipso diabolo est exscrabilius, qui etiamsi corpus nostrum teneret, per se tamen nobis nocere, aut exitium nobis conciliare, non potest, uti quidem faciet hæresis omnibus iis, quorum animam tempore mortis occupatam tenebit. Exsecrarentur eam omnes creature, neque de ea necum cogitent, nisi cum horrore ossum medullas penetrante.

§. II. Quæ cum ita sint, multis videri posset paradoxum esse, immo contradictionum, unum eundemque auctorem in eodem libro tanta cum severitate impugnare Pelagianam hæresin, & eidem tamen ipsum addictum esse, & ejusmodi naturalismum propugnare, in quo revera Neo-Pelagianismus aliquis quasi sit redivivus. Quod si inconsultos Poireti admiratores hic audias judices, illi pleno ore ac impotenti voce cavillationis arguent illos, quotquot naturalismum aliquem, qui quidquam cum Pelagiana hæresi commune habeat, a Poireto statui & stabiliri ac orbi christiani obtrudi, dicunt.

§. III. Verum enim vero Poiretiana hæc Pelagianæ hæreseos insectatio nequaquam est ~~atrat~~ cum naturalismo illo, quem Poiretum fovere ac propugnare, & quem novum aliquem Pelagianismum continere, demonstratum est. Ethanc ipsam demonstrationem, quam præter alia præcedens dissertatio cum præsenti hac habet, esse liquidissimam, lectores omnes, quotquot attentam

& docilem mentem mihi commendarunt, fatebuntur,
quod plane confido.

§. IV. Impugnat Poiretus hæresin Pelagianam, in quantum illa negat præstantiam imaginis divinæ & statutus innocentie in protoplastis, statui isti nihil aut parum tribuens, in quo is ab hodierno hominum omnium statu naturali diversus fuerit. Hanc Pelagii & Pelagianorum hypothesin pestilentissimam, tanquam περτων aliorum errorum ψευδο- Poiretus recte negat ac destruit, recteque it destructum noxia istius sectaria de peccato, quasi illud sit res levicula; & de gratia, quasi illa revelationis adminiculo absolvatur; & de statu restitutionis, quasi is sit facillimus, & sine interiore operatione Dei in viribus hominis naturalibus positus. Hæc, & quæ his cognata sunt, Poiretus recte negat ac destruit.

§. V. Inde vero non sequitur, illum ipsum ab omni naturalismo alienum esse. Contrarium in posterioribus dissertationibus & in aliis etiam vidimus. Et ex his arbitror, ad cuiusvis attenti ac sinceri lectoris conscientiam accepta convictione manifestum esse: 1. Poiretum quidem commendare necessitatem interius operantis Dei gratiæ; at ipsum non intelligere gratiam evangelicam, quæ expiationis forensis fundamento nixa una cum præconio Evangelii offeratur & conferatur; sed ejusmodi gratiam, quæ vi, uti singit, protevangelii omnibus ac singularis hominibus jam tum ante præconium evangelij, & fine eo, natura insit, utpote omnibus pro communī na scendi forte innata, tanquam principium novæ, spiritualis ac æternæ vitæ, immo ipse Deus, ipse Christus, omnia in omnibus. 2. Poiretum re vera, quæ legis naturæ sunt, pro evangelio & pro gratia venditare. 3. I pfuma

psum ex hoc principio honestioribus gentilibus vitam spiritualem ac æternam tribuere. 4. Eundem gratiam vere evangelicam, seu proprie ita dictam, una cum con-
cione de Christo habere pro re levicula seu accessoria.
Taceo multa alia hic pertinientia.

§. VI. Jam cum hæc operatio Dei interior, qualem Poiretus urget, & Pelagianæ hæresi opponit, sit imaginaria,
& revera nihil nisi mera *natura*, seu operatio naturalium
vicium, Poiretus ea, quæ naturæ sunt, *gratia nomine vestit*,
quod olim Pelagianorum erat proprium; & ejusmodi
statuminat *naturalismum*, in quo re ipsa *Pelagianis-*
mus aliquis, et si speciosior, est redivivus.

PRAESES RESPONDENTI

S. P. D.



Aturam & gratiam, & utri-
usque jura, proprietates &
effectus recte discernere, mul-
to est difficilis, quam vul-
go existimari solet. Hoc ve-
ro

F 3

ro ipsum internoscendi studium in lectionibus
theologicis apud nos commendari sedulo, caris-
sime KAHLI, non nescis, qui iistarum per qua-
tuor fere annos auditor fuisti constans & at-
tentus. Et quantum ex iis profeceris, specia-
tim in hac ipsa naturam a gratia dignoscendi
ac veritatem defendendi habilitate, illud ipsum
est, quod in actu disputationis publico proxi-
me es ostensurus. In quo ut, bene te staturum
esse, non dubito; sic non minus etiam confido, id
te acturum esse omni studio operaque, ut, na-
tura & gratiae discrimine in temet ipso, quem
Deus naturae dotibus benignius instruxit, probe
observato, gratiae donis magis magisque exor-
neris. Quod quo feceris fidelius ac constantius
[ut autem facias, noveris temet hoc ipso di-
sputationis specimen, tanquam data tessera,
esse obstrictum] eo utilius Domino vas in ecclae-
sia sua es futurus. Et hac ratione respondebis
exspectationi Venerandi Parentis tui, amici
mei

mei veterani, quocum, prater natale inter Gardelegienses solum, etiam Magdeburgi, cuius ades primaria facundo ejus praconio resonat, subsellia scholaistica communia habui. Et cum eo tempore nihil cogitaverim minus, quam futurum esse, ut carissimi commititonis filium aliquando in Academia haberem auditorem ac domesticum, in eo nunc eo magis Veneror Dei providentiam. Et hanc ipsam nunquam non ipse etiam eo experieris benigniorem, quo fidelius temet eidem regendum ac ducendum permiseris. Id itaque dabis operam, ut divinis charismatis cumulatus, \mathfrak{G} ad fidum Dei ministerium efflorescens, ipse etiam aliquando singularem ejus providentiam e documentis quam plurimis celebrare possis. Dabam Hale Saxonum exente Januario anni M DCC XXI,

ALIET RIT OTATRÆD

Alid rite hundre dyrige en dyd
dala dydri regn regniget marta riald. Alid rite
Alid rite mardri regn regniget marta riald.
es marta rite hundre dyrige en dyd
dala dydri regn regniget marta riald.
Alid rite hundre dyrige Valde regn regn
Alid rite hundre dyrige en dyd
dala dydri regn regniget marta riald.
Alid rite hundre dyrige en dyd
dala dydri regn regniget marta riald.
Alid rite hundre dyrige en dyd
dala dydri regn regniget marta riald.
Alid rite hundre dyrige en dyd
dala dydri regn regniget marta riald.
Alid rite hundre dyrige en dyd
dala dydri regn regniget marta riald.
Alid rite hundre dyrige en dyd
dala dydri regn regniget marta riald.

73 5225

ULB Halle
002 698 757

3



St

Nb 18

Mt

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

DISSSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM
DODECADIS POSTERIORIS
TER TIA,

QVA

ISTE VIRI CLARISS. PETRI POIRETI, ERROR, QVO;

QVAE NATV-
RAE SVNT, PRO
GRATIA ET GRATIAE
EFFECTIBVS HABET,

DISCVSSIS EJVS LOCIS ET ARGUMENTIS,
PLVRIBUS REFELLITVR.

QVAM

IN REGIA FRIDERICIANA

die Febr. hujus M DCC XXI. anni

P R A E S I D E

D. JOACHIMO LANGIO,
S. THEOL. PROFESS. ORDINARIO,

PLACIDAE συνθεολογίαν των DISQVISITIONI SUBJICIT

CHRISTIANVS AVGVSTVS *Rahle*
MAGDEBURGENSIS, SS. THEOL. CVLTOR.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFI, Acad. Typ.

